

videtur: quis enim, inquit, salvus fiet, cum tam multæ sint peccandi occasiones et pericula? Tam multa præcepta? Tot requisita ad agenda pœnitentiam? Tantæ difficultates in perferendo? Ecce valles in quibus constituti putant montes præceptorum, consiliorum, pœnitentiæ esse insuperabiles; sed si propius accederent et inciperent ingredi viam montium, viderent eam non difficile superari, paulatim progrediendo. Sic filii Israel cum audissent ab exploratoribus terræ promissæ, urbes grandes in ea esse atque muratas, Numer. XIII. statim desponderunt animum et auxere difficultatem, dicebantque, urbes magnas ibi esse, ad cœlum usque munitas, ut exprobat eis Moyses Deut. I. et idcirco nolabant progredi. Hac techna retinet dæmon plurimos ab incepto virtutis itinere, dum longe difficilior id eis repræsentat, quam revera sit. Similes hi sunt dæmoniaco illi, qui habitabat in monumentis et sepulchris, Marci c. V. Includuntur et obsidentur a dæmone in fovea desperationis, quasi jam actum sit de salute eorum, et ipsi jam in sepulchro æternæ mortis habitent. At vero isti Deum exasperant, ut habemus Psal. LXVII. *Qui educit vinclos in fortitudine; similiter eos qui exasperant, Deum videlicet per suam impœnitentiam et desperationem, qui habitant in sepulchris.* Ergo Christus non solum ligatos vinculis peccatorum, qui cupiunt liberari; sed etiam desperatos, qui contemnunt salutem et sunt quasi mortui, educere potest e vinculis et sepulchris; ut ibi notat S. Augustinus. Implenda est hæc vallis, abjiciendus timor: quis enim non videt quam trita sit facta cœli via? Eam strenue et cum laude confecere publicani et meretrices, fures et latrones, pueri et puellæ, decrepiti et anus? *Tu non poteris, quod isti et istæ?* Ait sibi Aug. I. VIII. confess. cap. XXI. *An vero isti et istæ hoc in semetipsis possunt, et non potius in Domino Deo suo: projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas, etc.* Salomonis thronum circumstant multi leones: at thronum Christi circumstant bos et asinus mitissima animalia, et piissima Mater: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur,* ait Apostolus ad Hebræos IV.

Secundo, vallis alia est pigritia, quæ, assueta otio et inertia, descensum tantum amat et quietem, ascensum vero et laborem fugit. In hac valle sunt, qui laborem pœnitentiæ fugiunt, molestiam collectionis, examinis, confessionis, negotiorum suorum interruptiones, etc. Similes nautæ illi Accessæo, qui omnes lunas causabatur infaustas et adversas navigantibus, ideoque cum sua nave semper in statione erat. Sic pigri Christiani nunquam fere commodum tempus reperiunt, quo se ad pœnitentiam disponant;

semper impediti sunt, modo ob frigus, modo ob æstum, modo ob inamicitias, modo ob lites, modo ob itinera, modo ob valetudinem, etc.

II. Montes et colles humiliandi sunt. Mons autem primo est avaritia, et opum accumulatio. Aurum in montibus foditur, et rursus fit mons in corde avari. Vallis est paupertas, utpote depressa, quæ idcirco a divitibus implenda est. Ut enim e montibus defluit imber, et cum eo terræ pinguedo in valles; sic a ditioribus, quod superest illis, defluere debet in pauperes, et ita impletis vallibus fiet æqualitas ut nullus egeat; quod testatur et præcipit Apostolus II. Cor. VIII. *Vestra (o divites) abundantia illorum (pauperum) inopiam suppleat; ut et illorum abundantia (in bonis operibus) vestræ inopie (spiritualis) sit supplementum; ut fiat æqualitas.* Humiliandus ergo hic mons; quia ad pauperem imus et paupertatis doctorem Christum, qui ait: *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea.*

Secundo, mons quoque est superbia, utpote inflata et super alios intumescens. Quæ sane Christo non potest non displicere, cum per omnia ei dissimilis sit: Christus in humili præsepio, superbus in palatio; Christus in vilibus pannis, superbus in pretiosis vestibus variarum novitatum et vanitatum; Christus inter bovem et asinum, superbus inter splendidum comitatum; Christus in fetore stabuli, superbus in delicatis odoribus, etc. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? In planum:* dicebat Angelus Zach. IV. Magni quidem apparent montes, si cum humilibus conferantur collibus; sed si cum cœlo conferantur, nihil sunt, nec aliores deprehenduntur quam ipsæ valles, ut ostendunt astronomi. Sive enim in vallibus sive in altissimis montibus aspiciant sidera, eandem inveniunt cœli altitudinem, quia nimirum tota terra respectu cœli est instar puncti tantum. Similiter ergo coram Deo omnes æquales sumus, et proinde coram eo pariter humiliari debemus. Ita Apoc. cap. IV. viginti quatuor seniores, id est, præstantissimi quique sancti utriusque Testamenti, licet meritis et gloria alter altero major esset, omnes pariter procidebant ante sedentem in throno, mittebant coronas suas ante thronum. Humiliandus est igitur hic mons. Imus enim nunc ad communem mensam, ubi omnes æqualiter pascimur et accumbimus, adeoque conveniunt in unum dives et pauper: et sicut Christus non in montem descendit, sed in stabulum et humillimum præseppe; sic neque ad nos veniet, nisi humiliatos.

III. Prava dirigenda sunt. Prava est injustitia, quæ per infractus usurarum, fraudum, mendaciorum eripit aliis bona, adeoque magnam inæqualitatem facit, offerendo alicui id quod ei debetur, et tribuendo sibi vel alii cui

non debetur. Plurimæ reperiuntur hujusmodi pravitates. Aliqui pecunias mutuo dant, ut cum censu annua etiam emolumenta accipiant, aut servitia et obsequia pro iis postulent: alii ob solutionem dilatam pretium augent: alii ob paratas pecunias et anticipas solutiones juxta vendentibus pretia minuunt: alii, adulteratis mercibus, pecuniis, mensuris, ponderibus, decipiunt. Quæ omnia prava sunt et necessario dirigenda atque ad justam æqualitatem redigenda, si Christum accipere velimus. Etenim sicut S. Benedictus spatharium Totilæ, domini vestibus indutum statim agnovit et dixit: *Depone filii quod geris, nam tuum non est:* sic etiam Deus non recipiet eum qui alienis gaudet bonis. Deut. XXV. dicitur: *Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi: abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam.*

Prava etiam sunt vitia carnis, et primo gula et ebrietas; quia hominem capite erecto formatum, incurvant ad terram et mutant in bestiam utpote terrenis tantum pabulis inbiantem, juxta id Psal. CV. *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fennum.* Unde qui ebriosos ambulantes videt, dicere cum cæco evangelico potest: *Video homines ambulantes sicut arbores:* tum quia ut arbores vento, sic illi vertigine agitantur et vacillant, tum quia versus terram os inclinatum gerunt, ut arbores quæ radicem, ex qua vivunt, in terra defixam habent.

Viget hoc vitium inter Christianos his maxime diebus tam sanctis licet; et ipsa Nativitatis Domini nocte maxima cum injuria Christi nati, et ignominia nominis Christiani: quid enim aliud hoc est, quam viam depravare et Domino occudere?

Corrigenda ergo hæc pravitas, tum quia «Non est justum, (ait S. Aug. fer. in dom. II. Adv.) ut in tanta solemnitate in populo Christiano ad unum Dominum pertinente alii inebriantur, alii famis periculo crucientur:» tum quia per se res est indignissima et pecuina.

Secundo luxuria, quæ depravat cor hominis et inflectit ad turpitudinem. Ita de Salomone dicitur III. Reg. XI. *Cum jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres.* Ita de impudicis illis senibus Susannæ insidiantibus ait Daniel c. XIII. *Everterunt sensum suum et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum.* Nullum enim peccatum est, quod sensus et cogitationes hominis adeo evertit, et a Deo ac rebus divinis avertit, atque istud.

Corrigenda est hæc pravitas, quia pergimus ad filium virginis castissimum, hostem juratissimum omnis impudicitia.

IV. Aspera complananda sunt. Asperum au-

tem est cor iracundi et passionati hominis, in quo quidquid dixeris, statim impingit, et iracundiam ejus provocat. Hinc tumultus, clamor, rixæ, vituperia, blasphemiae, etc. quantilapides in via? Grave est tali via ambulare, et cum talibus conversari. Audi sapientem Prov. XXVII. *Grave est saxum, ait, et onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior.* Gravius adhuc et asperius saxum est odium, quod non sine difficultate de corde amovetur. Frustra autem expectant Christum, qui hæc saxa non amoliuntur; quia ipse mitis est et humilis corde.

Læviganda igitur hæc asperitas, si ad Christum venire velimus. Sic enim serpens ad fontem iturus deponit venenum, teste August. ad Julian. comitem de perfecta justitia. Idem S. August. ser. in domin. I. Advent. ait: «Quotiescumque Natalem Domini aut reliquas solemnitates celebrare disponitis, ebrietatem ante omnia fugite, iracundiæ quasi bestia crudelissima repugnat, odium velut venenum mortiferum de corde vestro repellite.» Hinc Christiani ante communionem sibi mutuo olim pacis osculum dabant teste Chrysostomo in epist. I. ad Cor. c. XIII. Damascenus I. I. paralel. c. XI. ait: «Cum tu infestum in conservum odium refineas, quonam tandem pacto ad pacis mensam accedere audes?» Hæc enim mensa nobis parata est, ut sit communio et unio Christianorum inter se et cum Christo. Ergo animo diviso accedere ad Sacramentum unionis, est una ex parte vulnus curare, ex altera refricare.

Quidquid denique pungit et exasperat conscientiam, amovendum est; sic enim decet ut Christo præparemus lectum blandum et delicatum. Satis ei sit in fœno semel jacuisse et præsepio, quare non tantum non super scopulos et saxa, id est, mortalia peccata, sed nec super stipulas et fœnum, id est, venialia reclinandus est Christus in præsepio cordis nostri; ut ita demum cum intraturus est Rex cœli in mundum, viam habeat planam et rectam.

CONCIO V.

QUALIS DEBEAT ESSE CONTRITIO.

1. Dolor seu detestatio sit: 1^o Supernaturalis. 2^o Serius. 3^o Universalis. 4^o Prior confessione. — 41
Propositum emendationis sit: 1^o Firmum. 2^o Perpetuum. 3^o Universale. 4^o Efficax.

THEMA.

Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

Luc. III.

Ut via bene præparetur, duo videntur esse necessaria. Primum ut lutum et sordes ac cætera impedimenta removeantur: alterum, ut ipsa via lapidibus sternatur. Nam via debet esse munda, et durabilis. Primum si desit, non

erit munda : si secundum, non durabit. Atque hæc eadem necessaria sunt ad parandam viam Domino venturo ad nos per gratiam ; removen- dæ enim sordes et impedimenta sunt, dein ster- nenda via. Totum fit per contritionem, cujus duo sunt munia ; primum, dolor seu detestatio peccati ; secundum, propositum emendationis. Per primum via mundatur, per secundum ster- nitur veluti quadris lapidibus, ut durare et ferre possit currus et onera : ita paratur via, ita rectificatur. Ea sic parata, venit ad nos Do- minus, quoniam contritio est ultima ad gratiam dispositio.

Jam vero, si, imperatore iter faciente, manda- tur undique, ut parentur illi viæ : cur non potius nos paremus viam Christo Domino brevi ad nos venturo ? Sed quia hoc etiam artis est, videamus modum et rationem.

I. Dolor seu detestatio primo debet esse su- pernaturalis, et dolor de peccato, quatenus est offensa Dei. Nam si tantum dolor sit de peccato, quatenus privat hominem beatitudine, vel addit gehennæ, tunc est attritio tantum, quæ extra confessionem non sufficit ad remissionem pec- catorum. Lacrymarum aliæ sunt calidæ, ut quando ploramus, aliæ frigidæ, ut cum dolent oculi, quia illæ decoctæ, hæc non, ut ait Aristoteles in problem. XXIII. Priores sunt typus lacry- marum, quæ ex contritione procedunt, quia hæc ab igne charitatis decoctæ sunt ; posteriores vero lacrymarum attritionis, quæ ex frigore timoris profluunt, poenarum scilicet inferni aut purgato- rii, et potius amorem sui, quam Dei involvunt. Prioris generis dolor erat in Davide, cum dixit II. Reg. XII. *Peccavi Domino*, q. d. non mihi vel in me, sed in Deum. Item Psalm. L. *Tibi soli peccavi*. Porro attritio etiam, quæ cum confes- sione sufficit, esse debet supernaturalis v. g. ob amissam beatitudinem, vel ob gehennæ vel pur- gatorii metum ; quia cum remissio peccati sit donum supernaturale, non potest viribus natu- ræ obtineri. Qualis non fuit dolor Saulis et Judæ, cum dixere : *Peccavi*. Unde nec profuit illis. *Quæ enim secundum Deum tristitia est*, ait Apostolus II. Cor. VII. *pœnitentiam in salutem operatur* : quia scilicet sæpe facit bona sæculi perditam, v. g. opes aut gratiam, honorem aut famam, cum peccato recuperare, vel desperare, uti Judam.

Secundo debet esse dolor serius, hoc est, talis per quem appetitive detestamur peccatum supra omne malum, tamquam repugnans sum- mo bono dilecto. Sicut enim obligamur diligere Deum super omne bonum appetitive ; ita et dolere de eo offenso supra omne malum. Simi- liter attritio maximus dolor esse debet, quia per peccatum summam felicitatem perdidimus, sum-

mæque miseræ reatum incurrimus. Quod vero ad intensionem attinet, non requiritur quidem summus dolor, expedit tamen ut sit vehemens ; et tanto quidem vehemior, quanto peccata sunt graviora : ut sic copiosior gratia infundat- ur, et pro pœna peccati plenius satisfiat, juxta id S. Cypriani de lapsis : « Quam magna delin- quimus, tam granditer defleamus. » Ita docet nos Isaias cum ait cap. LIX. *Impegimus me- ridie* (id est, in luce Evangelii, vel in publico, vel ex certa scientia) *quasi in tenebris, in cali- ginoso mortui, rugiemus quasi ursi omnes*. Ursi summe amant catulos suos, quia bis quodam- modo eos pariunt, primo edendo, deinde lam- bendo : ideo ob eos perditos summe etiam dolent. Ita Deo velut summo nostro bono per peccatum perditio summe dolere debemus. Sed quam rarus est nunc in pœnitentibus ejusmodi dolor ! Si enim serio dolerent, non tamdiu confessionis remedium differrent, quod tamen plerique faciunt. Quis enim ex gravi vulnere aut morbo vehementer dolens, differt adhibere medicum vel chirurgum ?

Tertio sit universalis, ita saltem ut de nullo prorsus peccato remaneat in nobis placen- tia : juxta præceptum Dei. I. Reg. XV. datum Sauli : *Vade et percule Amalec, et demolire uni- versa ejus : non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid*. Nam si vel unius concupis- centia remanserit, veniet super nos maledictio Saulis, qui contra Domini præceptum pepereit pinguioribus. Et quamquam non est necesse de singulis peccatis mortalibus singillatim dolere, utilissimum tamen id est ; primo ad majorem contritionis certitudinem, secundo ad plenio- rem satisfactionem et punitionem uniuscujus- que peccati, tertio ad solidius emendationis propositum.

Quarto sit prior aliquo modo ipsa confessione, quia confessio, cum non sit simplex peccatorum explicatio, sed explicatio dolorosa, seu accusatio sui ipsius tendens ad absolutionem, debet procedere ab interna pœnitentia, eamque signifi- care : sicut in explosione sclopeti globus expel- litur, ab igne prius abhibito. Unde immediate ante confessionem particularem, dum præmit- titur generalis, vel saltem dum quis se accusat et reum fatetur, elicere quisque actum contri- tionis deberet. Juvabit ad hoc, ante confessio- nem, quoties recordamur peccatorum nostro- rum, ea detestari, nec quiescere velle, donec, facta confessione, audias confessarium te absol- vere. Narrat Palladius in historia Lausiaca cap. XLVI. de quodam monacho lapsa, qui in se reversus speluncæ se inclusit, sibi que saccum et cinerem substravit, nec prius e terra surrexit, nec cessavit flere, quam angelum audivit dicen- tem : *Accepit Deus pœnitentiam tuam et tui mi-*

sertus est : vide ne deinceps decipiaris. Angelus tuus, fili, confessarius tuus est.

II. Propositum emendationis, primo sit fir- mum, quo firmiter et serio statuas non peccare in posterum, ita ut nullis suasionibus, promissis, terroribus, vel minis ad peccandum adigi velis ; nam nisi hoc habeas propositum, nondum videris peccata serio detestari, quia nondum agnoscis eorum gravitatem et turpitudinem : si enim hanc agnosceres, cane pejus et angue peccata tua odisses, et nunquam in æternum cum iis quidquam commercii habere velles. S. Thomas in quodlibet ait, quod contritus teneatur in generali magis velle pati quancumque pœnam, quam peccare ; siquidem tenetur magis amare Deum quam seipsum. Hoc propositum est instar mœnium, quæ circum animam nos- tram extruere debemus, ut eam salvam conser- vemus. Sic enim Richardus Victorinus in Cant. p. II. cap. XXXVIII. ait : « Castri animæ hæc erit firma munitio, ut intentionem semper habeat homo mortale non committendi ; et si commiserit statim pœnitendi. » In lib. Amos cap. VII. juxta versionem Septuag. visus est propheta Dominus stans *Super murum adamantinum, et in manu ejus adamas* ; quod significat nos, si velimus Deum ad nos venire, debere cir- cum animæ nostræ civitatem extruere murum adamantinum, id est, fortissimum animi propo- situm, nullum peccati hostem intromittendi ; et in hujusmodi muro consistere Dominum qui etiam adamante gratiæ suæ murum propositi nostri firmare solet. Talem murum extruerat sibi David, cum dixit Ps. CXVIII. *Juravi et sta- tui custodire judicia justitiæ tuæ* : talem mulier illa Christiana, de qua Apollo sciscitanti ma- rito, quomodo a fide eam averteret, respondit : « Citius evolaveris per aerem aut in aquam scripseris, quam ut illam inde revellas ; » apud Majol. t. III. coll. I. Solent aliqui juramento se adstringere de certo vitio cavendo, quo sibi vel aliis nocentum aliquod attulere, uti de alea, ebrietate, chorea, etc. et tunc si non omnino, saltem ut plurimum abstinere. Et cur non eodem modo abjuramus vitia alia ? Annon et ipsa nobis et quidem æternæ damnationis per- niciem afferunt ? Unde non video, quid excusa- tionis aliquando coram Deo afferamus, qui tam facile relabimur : si enim cum juramento nos adstringimus, abstinemus ; cur non æque firmi- ter proponimus peccata, ac si illa abjurasse- mus ?

Sed eventus re i demonstrat, quam plurimos non adamantina, sed lutea et humilia extruere mœnia ; siquidem tam cito corrui eorum mu- rus, et tam facile transilitur, cum mox post confessionem proxima quaque occasione pec- cata admittant. Quos certe irridet dæmon,

sicuti gentilis ille Tobias Ammanites irrisit Judæos ædificantes mœnia Jerosolymæ, dicens : *Si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum*. II. Esdr. IV. siquidem una sæpe vul- pecula et proxima quæque dæmonis tentatio murum illorum transilit. Hujusmodi murum æquo humiliorem cum urbi suæ Romæ circum- dedisset Romulus, illisit ei frater Remus, tran- siliendo murum. Sic illisit cuidam canonico Parisiensi dæmon, apud Cæsar. lib. II. c. XI. cui confitenti in articulo mortis persuaserat, quod si convalesceret in proposito suo perse- verare non posset, aut vellet ; et propterea se damnatum dicebat alicui, cui post mortem apparuit.

Secundo sit perpetuum, ita ut statuas totq vitæ tempore peccata vitare totis viribus. Pec- catum enim perpetuum Dei hostis est ad instar urbis illius Jericho maledictæ, cui imprecatus est Josue, postquam eam ut rebellem et hostilem destruxit funditus : *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho*. Jos. c. VI. Dic tibi et tu pœnitens : *Maledictus qui suscitaverit peccatum, jam destructum per pœnitentiam*. « Legimus in Scrip- turis, ait S. Hieron. l. I. comment. in Math. urbes quasdam ira victorum sale seminatam, ut nullum in ipsis germen oriretur. » Idem pœni- tens faciat peccatis suis destructis, inspergat eis salem firmissimi propositi nunquam in æter- num amplius peccandi. Id quod fecit David Psal. CXVIII. v. CXII. dicens : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum*. q. d. si æternum viverem, in æternum amplius non vellem peccare. Metronem confessorem (cujus corpus Veronæ venerationi habetur) re- fert Marulus l. IV. c. X. cum pœnitentiæ labo- rem subiret, compede ferrea se vinxisse et clavem illius in Athesim fluvium projecisse, ne scilicet ulla sibi via superesset a vinculis se liberandi. Hujusmodi compedem injicere sibi pœnitens debet, et clavem in flumen abjicere, id est, omnem sibi viam delinquendi interclu- dere, et quasi sibi ipsi potestatem peccata pris- tina repetendi adimere. Optimus ille adolescens Joseph, cum seris pudicitiae semet inclusisset, tentatus a domina nequaquam acquiescebat operi nefario, sed dicebat : *Quomodo possum hoc malum facere, et peccare in dominum meum ?* Genes. XXXIX. Nimirum clavem pudicitæ, cui se adstrinxerat, quodammodo in flumen abjece- rat, firmissimi se obligando in æternum non peccare. His seris si nos ipsos solide obserare- mus, facile adderet Deus gratiam suam, ut non relaberemur in priora scelera. Tametsi enim voluntas hominis, semper quamdiu vivit homo, libera et flexibilis est ad malum et ad bonum, potest tamen firmitate propositi sui adeo se

obfirmare Deo adjuvante, ut nullis diaboli machinis superari queat, et in pristinam captivitatem ejus reduci. Sic enim et Apostolus dixit ad Rom. VIII. *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, etc. poterit nos separare a charitate Dei.* Tale igitur propositum si et nos conciperemus, experiremur profecto majorem poenitentiae nostrae fructum, nec tam facile in idem volubrum ut sus lota rediremus. Sed nimirum plerique omnia obiter agunt, pauci seminant salem super peccata sua, vel projiciunt in mare claves compedum suorum. Ad paucos aliquot dies, donec festivi scilicet praetereant et quamdiu occasio et tentatio non occurrit, proponunt abstinere, sed postea mox sibi ipsis viam reserant ad peccandum et libertatem.

Tertio sit universale, non unum aut aliqua tantum peccata, sed omnia vitandi, ita ut nec inordinatum affectum ad aliquod peccatum lethale retineas. Non enim dimittitur unum peccatum sine alio, quia gratia Dei non consistit cum ullo peccato; et deinde qui in corde suo fovet unum Dei hostem, eo ipso ostendit se quoque Dei hostem esse, et reliqua peccata non detestari ideo, quod Deo adversentur, sed ob humanos alios respectus. Nihil profuit regi Achab quod reliquo toto corpore fuerit munitus aeneo thorace, praeterquam uno in loco, inter pulmonem et stomachum, ubi sagitta casu infixam eum occidit. [III. Reg. ult. Suasit Apostolus ad Rom. XIII. ut abjectis operibus tenebrarum, induamus arma lucis: sed nisi undique armis tecti simus, nullumque omnino relinquamus locum ulli peccato, nihil nobis prodest, siquidem una peccati sagitta occidere hominem potest et mittere in gehennam. Neque tantum voluntas peccandi deponenda est, sed etiam affectus erga peccatum: est enim affectus inordinatus quasi ovum et semen, unde facile prodit peccatum. Milites Maximiani imperatoris non contenti ipsum imperatorem, utpote pessimum, occidisse Aquileiae, ejus etiam filium adolescentulum peremerunt dicentes: « Ex pessimo genere nec catulum retinendum esse. » Refert Julius Capitolinus. Et quae soboles magis pestilens quam peccatum? Igitur nec catulus, seu affectus quidem unus peccati retinendus est in animo, ne et ipse adolescat et peccatum fiat. Postquam Pharaon multis plagis coactus, dimittere voluit Israelitas, volebat, ut saltem uxores et parvuli eorum remanerent, viri autem ad sacrificandum abirent. Sed cum hoc nequaquam contentus esset Moyses, dixit Pharaon: « Ite, sacrificate Domino: oves tantum vestrae et armenta remaneant. » Sed neque hoc concessit

Moyses: *Cuncti greges, inquit, pergunt nobiscum, non remanebit ex eis ungula.* Exod. X. Sciebat enim Pharaon, facile retrahendos et reversuros Israelitas in Aegyptum, si uxores et liberos aut saltem pecora sua ibi relinquerent. Similiter novit daemon facile retrahendum hominem ad peccata, si modo affectum eorum retineat: v. g. erga pellicem, vel pecuniam; si saepe de ea cogitet, eam desideret, de ea loquatur, etc. licet homo peccata ipsa per confessionem deleat: itaque non remaneat ex eis ungula. Hoc voluit Jeremias Thren. II. cum dixit: *Effunde sicut aquam cor tuum.* « Caeteri enim liquores, (inquit Hugo de S. Victore), vel sapore infecta vasa relinquunt. Qui ergo peccatum omnino, sed non peccandi affectum ejiciunt, in vase saporem noxium adhuc servant. » Sic ille.

Quarto sit efficax primo, ita ut non ipsa tantum peccata, sed etiam proximas saltem peccandi occasiones devitare proponat, et cum potest, remove. Nam ut Sap. ait: *Qui amat periculum, peribit in illo,* Eccli. III. *et qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea,* Eccli. XIII. Signum est eum non optare munditiam, qui non statuit abstinere a tangenda pice. Et in hanc sententiam dixit Dominus Matth. cap. XVIII. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te.* Hoc enim verbo praecipit, ut fugias locum, personam, officium, libros, colloquium et quaecumque ad peccandum te inducere solent aut facile possunt. Ut si noveris te inordinato amore trahi erga personam aliquam, vites ejus aspectum et colloquium. Si noveris cito tibi obesse vinum et praecipitare in aliqua vitia, fugias tabernas et comotationes. Si noveris aliquod officium tibi lapidem esse offensionis, cum Matthaeo id resignes. Alioquin veluti canis cum catena aufugiens facile iterum capitur, quia gerit secum unde reduci potest; ita et tu a demone cito retraheris in peccatum, si affectum ejus retineas. Postquam Israelitae cum alienigenis feminis contraxere matrimonia, brevi ab eis seducti sunt, ut idola adorarent. Cui malo ut occurreretur, dixit Sechenias: *Nunc, si est poenitentia in Israel super hoc, percutiamus saedus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores et eos qui de his nati sunt.* I. Esdr. X. Sic etiam si est vera in te perfecta poenitentia, non tantum peccata fuge, sed etiam illa remove, quae ad peccandum te inducere solent et possunt. Quando domus aliqua patitur damnum a stillicidio, duplici via occurri huic damno potest: primo si in vase aliquo excipiantur aqua distillans et post ejiciatur; sed interim tamen tigna domus putrescent, et demum ipsa domus corruet. Optimum igitur remedium est illud alterum, ut scilicet tectum resarcias, ne stillicidio sit obnoxium: sic enim et domum sar-

tam tectam conservabis. Similiter si tantum singulis mensibus vel etiam septimanis colligas peccata tua in examine conscientiae, et ejicias per confessionem, interim vero radices et occasiones peccandi, unde prodeunt peccata, non caveas, nec obstruas, parum efficies, quia mox eadem perpetrabis et te ipsum sensim perdes. Unde Ecclesiastes c. X. ait: *In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum persillabit domus.* Vult dicere; qui negligit reficere tecti rimas, unde distillant in domum pluvia, videbit tandem corrui sibi domum. Tu ergo si advertas tibi obesse vinum et laxare frænum vitii, teneris id vitare; si lectione pravorum librorum incitari te ad malum, teneris eos amovere, etc.

Secundo, ut proponat adhibere efficacia remedia et antidota peccatorum imminetium; sic enim convalescentes utuntur diæta et regula vivendi. Sic qui hoste pulso civitatem aliquam occuparunt, ponunt in ea praesidium militum: alioqui non videntur magni aestimare, nec velle conservare eam. Aquila nidum suum munit lapide æthite, qui valet contra venenum. Tiberius Cæsar, quando fulgura cernebat et tonitrua audiebat, tempora lauro cingebat contra fulmina. Ut refert Gemin. lib. III. de vegetat. cap. LXI. Cur ergo non et nos armemur contra spiritualia nequitiae, et abjectis operibus tenebrarum induamur arma lucis, cum quibus obviare possimus operibus tenebrarum?

CONCIO VI.

POENITENTIA BAPTISMO SIMILIS.

I. In materia propinqua. — II. In dispositione. — III. In significatione. — IV. In effectibus. — V. In necessitate.

THEMA.

Venit in omnem regionem Jordanis, praedicans Baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Luc. III.

Duo diversa Sacramenta sunt Baptismus et Poenitentia. Ecce igitur, inquiet aliquis, baptismus Joannis, poenitentiae baptismus appellatur? Respondeo in primis, quia ad poenitentiam inducebat. II. Quia qui eo utebantur, se peccatores ex gestu et humilitate profitebantur. III. Quod secundo Christi baptismum significaret. Addo et hoc, quia baptismo Christi, quem figurabat Joannis baptismus, poenitentia in multis adeo similis est, ut ab Origene hom. IV. in Jos. secundus baptismus appelletur: ab aliis secunda post naufragium tabula, id est, remedium post gratiam baptismi perditam: ab aliis baptismum fere jungatur et pari cum baptismo vi ad remittenda peccata praedicetur, uti a S. Hierony-

mo, qui lib. I. contra Pelagianos prope finem scribit: « Poenitentia imitatur baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris, qui non vult perire quemquam, etc. » Quare cum baptismum reiterare nequeamus, ejus loco uti poenitentia possumus. Haec ergo qua in re conformis sit baptismo, videbimus.

I. In materia propinqua, quae est contritio et confessio peccatoris, sicut baptismi materia propinqua est ablutio aquae. In poenitentia ablutur homo lacrymis, saltem internis et virtualibus, scilicet dolore peccati: in baptismo aquis elementaribus. Ad haec sicut ad baptismi valorem sufficit quavis aqua elementaris; tamen ex praecepto Ecclesiae requiritur aqua consecrata cum trina infusione chrismatis; ita in Sacramento poenitentiae sufficit quidem dolor imperfectus, qui vocatur attritio: melior tamen et longe praestantior est alter perfectus, qui vocatur contritio, et includit dilectionem Dei super omnia et detestationem peccati, qua est contra summum bonum. Verum in hoc differunt, quia poenitens materiam absolutionis suae ipsemet ex se fundere et suppeditare debet; baptizandus non item: ut cui sufficit aqua ab aliis suppeditata, quia voluit Dominus ut secunda justificatio et sequentes plures nos constarent, quam prima, ut hinc amaritudinem peccati degustaremus. Quam ob causam etiam vocatur poenitentia, secunda post naufragium tabula, quia sicut multo difficilius et laboriosius est in tabula enatare, quam navigio ad portum appellere; ita poenitentia difficilius est post lapsum remedium, quam baptismus. Denique sicut baptismus conferri nequit in aliis liquoribus, praeterquam in aqua; ita poenitentia requirit dolorem ex motivo supernaturali elicito, sive is sit contritio ob summum bonum offensum, sive attritio, ob gehennam metum vel beatitudinis amissionem. Dolor mere humanus et naturalis, v. g. ob infamiam, poenam, aliudve damnum temporale peccatis invecum non sufficit, ut docet Concil. Trid. sess. VI. c. VI. et sess. XIV. c. IV.

Forma etiam utriusque Sacramenti persimilis est. Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Poenitentiae: *Ego te absolvo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* quamquam expressio SS. Trinitatis ad essentiam quidem baptismi spectat, non tamen ad essentiam poenitentiae: in neutro tamen Sacramento omitti debet.

II. Ratione dispositionis ex parte suscipientium. Ad baptismi gratiam disponi adultus debet per catechesin, per scrutinia, quibus exerceri et probari debebat olim variis manuum impositionibus, crucis consignationibus, exorcismis, jejuniis, orationibus; per dolorem de peccatis saltem imperfectum, qui est attritio; et in